

C A P V T I.

*Q V I B V S rationibus Copernici hypotheses fiant consentaneæ. Et ex-
plicatio hypothesum Copernici.*

ET S I pium est, statim ab initio huius de Natura di-
sputationis videre, an nihil Sacris Literis contrarium
dicatur: intempestiuum tamen existimo, eam con-
trouersiam h̄ic mouere, priùs atque solliciter. Illud
in genere promitto, nihil me dicturum, quod in Sa-
cras Literas iniurium sit, & si cuius Copernicus mecum conuin-
catur, pro nullo habiturum. Atque ea mens mihi semper fuit, inde à
quo Copernici Reuolutionum libros cognoscere cœpi.

Cum igitur hac in parte nulla religione impedirer, quò mi-
nus Copernicum, si consentanea diceret, audirem: primam fidem
mihi fecit illa pulcherrima omnium, quæ in cœlo apparent, cum
placitis Copernici consensio: vt qui non solum motus præteritos
ex vltima antiquitate repetitos demonstraret, sed etiam futuros
antea, non quidem certissimè, sed tamen longè certius, quam
Ptolemæus, Alphonsus, & cæteri, diceret. Illud autem longè ma-
ius, quòd quæ ex alijs mirari discimus, eorum solus Copernicus
pulcherrimè rationem reddit, causamq; admirationis, quæ est
ignoratio causarum, tollit. Nunquam id facilius docuero Lecto-
rem, quam si ad Narrationem Rheticilegendam illi author & per-
suasor existam. Nam ipsos Copernici libros Reuolutionum lege-
re non omnibus vacat.

Atque hoc loco nunquam assentiri potui illis, qui freti exem-
pli accidentariæ demonstrationis, quæ ex falsis præmissis necessi-
tate Syllogistica verum aliquid infert. Qui, inquam, hoc exem-
pli freti contendebant, fieri posse, vt falsæ sint, quæ Copernico
placent hypotheses, & tamen ex illis vera φανόμενα tanquam ex ge-
nuinis principijs sequantur.

Exemplum enim non quadrat. Nam ista sequela ex falsis præ-
missis fortuita est, & quæ falsi natura est, primū atque alij rei co-
gnatae accommodatur, seipsum prodit: nisi sponte concedas argu-
mentatori illi, vt infinitas alias falsas propositiones assumat, nec